24

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

HÆREDITATE MORBORUM,

Quam

FAVENTE DEO TRIUNO

Auctoritate & Juſſu

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,

PRÆSIDE

DOMINO

RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Phil. & Med. Doct. atque hujus Prof. Publ. Ord. celeberrimo, Facultatis h. t. DECANO ſpectatiſſimo,

Dno. Præceptore, ac Patrono ſuo ætatem pie colendiſſimo, venerandiſſimo,

PRO LICENTIA

Supremos in Medicina Honores capeſſendi publice examinandam proponit

Loco Horisque Conſuetis

Ad diem Julii Anni M DCC XVIII.

Auctor

JOH. WENDELINUS BULFFINGER, Canſtad.

TUBINGÆ,

Typis JOH. CUNRADI REISII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30772989_0002

PROOEMIUM.

IUſſu Amplissimæ Facultatis Medicæ, peracto duplici examine, Licentia ſummos in arte medica conſequendi honores publico diſcurſu, ac defenſione theſium medicarum, mihi demerenda reſtat. Selegi ergo præſens, quod conſpicis L. B. de Hæreditate Morborum thema, quod ſe ex raritatis, jucunditatis, & uſus triplici capite commendarat. Cæterum quem materiæ prolixitas objecerat ſcrupulum, ſcopo ſcribendi evitavi, qui non eſt, doctrinam de morbis hæreditariis tradere, vel docere, ſed tantum aliqua decerpere, quæ Diſceptationi publicæ, occaſionem ſuppeditarent. Nec me hujus thematis abſterruit obſcuritas; præter enim id, quod hæc triſtis qualitas in rebus Phyſico-Medicis non raro occurrat, adeo, ut quam in donis ſuis ac productis prodige liberalem ſtupemus Naturam, eandem in occultanda arte, modoque producendi nimis ſolicitam ſatis demirari non poſſimus; accedit adhuc, quod nullibi tutius, quam in his philoſophandum putem, ſæpius enim ratiocinii levitas ſub materiæ difficultate latens, cenſuram fugit, quam alias evitare non liceret. Te vero Clementiſſime Numen, præfando ſupplex veneror, Velis ſumma Tua Potentia, ſine qua nihil ſumus, nihil poſſumus, nobis & in ſcribendo, & in loquendo adeſſe benigniſſime, omniaque ad Tuam Gloriam & ægrotantis Proximi ſolatium convertere. Amen.

Cap. I.

Quid ſit Hæreditas Morborum, & An detur aliqua?

NAturalis ordo eſt, ut, qui in rem quandam inquirere deſiderat, ejus cauſas, & effectus exploraturus, prius ſibi conceptum formet de re ipſa quam quærit, quæ, qualis, ſit. Hoc enim niſi præcedat, ſibique mens claram rei objectæ ideam formet, nunquam quicquid certi, & accurati cognoſcet. Nimirum hic mentis conceptus præcedens, ad rem inquirendam ſe habet, uti Norma ad Normatum, norma autem prior eſt normato. Nec veritatem, quam hic quærimus Logicam, quæ eſt conceptus mentalis, cum re concepta adæquata ſimilitudo & conformitas, l. uti *Excell. Dn. Prof. HAGMAJER in Diſſertatione de Veritate Metaphyſ.* §. XIX. p. 22. exprimit: Judicii cum re intellecta conformitas: alia, quam hac ratione invenire licet. Quanquam nos non lateat, methodum hanc inverti, & rem ſcheſin Regulæ induere, ſi quæſtio ſit, de inquiſitione rei hactenus ignotæ, cujus nullam plane l. ex relatione aliorum, l. propria experientia notitiam habemus. Hic enim alterum poſt alterum rei attributum cognoſcit, & collectione facta ideam totalem fabricat; (loquamur cum vulgo) Ibi vero adfert jam mens plenam rei ideam, & hanc cum re ipſa comparando, hujus cum illa harmoniam l. diſſonantiam deprehendit, & ſic de rei Veritate l. falſitate certior fit.

Eſt itaque Hæreditas Morborum Affectio Corporis humani præter naturalis, à parentibus naturalibus tali, vel ſimili malo afflictis per generationem implantata, qua illud huic l. illi morborum generi actu ſubjectum, aut ad id recipiendum pronum magis eſt, & aptum. Sic ſtatim incipimus a Definitione & Tractatione Reali, miſſa onomatologia. Quam eo tutius omittimus, quia

utraque

utraque vox Hæreditatis, & Morbi ſatis per ſe claret. Lites enim ICtorum de eo, quid denotet Hæreditas, in quo Vinnius reliquis contradicit, noſtrates non facimus, quieta hac in quæſtione gaviſi pace. Id dolemus, Beneficium quod Prætor Suis heredibus dedit, abſtinendi hic locum non habere. Hæc autem Hæreditas Morborum, alias Diſpoſitio hæreditaria ad morbos, l. Malum hæreditarium, nobis definitur per *Affectionem* i. e. Modum, Qualitatem, Conditionem, Proprietatem, vel Accidens corporis humani, id quod ulterius probare ſuperſedemus. Nimis enim paradoxi, imo abſurdi ſunt, qui morbum cum *Paracelſo* faciunt ſubſtantiam, & peculiare Ens in corpore humano latitans effingunt. Uti non ſine riſu meminiſſe poſſum, me ab aliquo Paracelſi aſſecla memoratum legiſſe, eum eo audaciæ proceſſiſſe, ut de ſe ipſo profiteretur, ſe febrem, quam deſcribit, per vomitum rejectam vidiſſe. Nec ſecundo pro mera privatione haberi poteſt morbus, vid *MOEBIUS* in Epit. Inſt. Med: T. VI. §. 4. in Not. Res enim ipſa loquitur, quod requiratur aliquid poſitivi, quod tales effectus triſtes, & deplorandos producat, ut Canon ex primis notiſſimus indicat: Ex nihilo nihil fit.

Corporis Humani eſt hæc affectio, quod conſideratur ut vivum, & cum Rectore ſuo vitali ſimul conjunctum, quicunque ille ſit, materialis, ſpiritualis, aut tertii generis, ſive ſit unus numero cum ſpiritu noſtro cogitante, immortali, ſive diverſus. Namque non eſt hujus loci excurrere in recenſionem tam diverſarum de partibus hominis eſſentialibus ſententiarum, quæ ex diverſis de ſpiritibus in genere opinionibus deſcendunt. Sane mirum eſt adeo ſibi hac in parte contradicere Philoſophos, ut plurimi cum Carteſio adeo a ſe invicem ſegregent Spiritum, & Corpus, ut nullum remaneat ne minimum quidem vinculum, & hæc in ſe invicem ne agere quidem poſſint: Quidam fere tantum, ut magis & minus differre credant, quibus meri-

to annumeratur *Portætſch* in Metaphyſ: ubi corpus ita definit: **Ein Cörper iſt ein zuſammen geronnener Geiſt.** *Humanum* additur, *non excluſive* ad alia Plantarum & Brutorum corpora, quibus cum generatio proprie ſic dicta, non analoga competat, nulli dubitamus, quin & morbis hæreditariis afficiantur. Exemplum hujus rei habet Rajus Hiſt. Plant. Cap. d. Secali, ubi ad probandam internam diſpoſitionem in grano ipſo: Agricolæ inquit, noſtri maxime cavent à ſemine ſegetis uſtilagine infectæ, & propterea ſemen lixivio firmum efficiunt, adverſus hujus vitii cauſas. conf. *Excell. Dn. PRÆSES Patronus ac Præceptor noſter omni honore & cultu ætatem proſequendus in Diſp. de Uſtilagine frumenti* ubi p. 10. integra Raji verba recenſet. addatur Celeberr *CHRIST. WOLF.* **Im Verſuch von Vermehrung der Pflantzen.** Cæterum de ipſo ſexu plantarum differenti vid. *Dn. PRÆSES* in Epiſtola perelegantiſſima ad Dn. D. *VALENTINI* ſcripta, in qua ex primis accuratiſſime hanc hypotheſin excoluit: Sed *intenſive*, quia ſcl. homines præ plantis & brutis, ut in genere omnibus, vid. Illu. *STAHL.* Med Theoret. Pathol: P. I. S. I. p. 10. ita in ſpecie hic hæreditariis morbis magis obnoxii ſunt, & hic loci ſolicitudo noſtra in Conſideratione corporis humani ſubſiſtat. *Præter naturalis* eſt hæc affectio ſenſu medico, quo omne id dicitur præter naturam, quod contra ſanitatem eſt, quamvis alias phyſice loquendo, quam maxime naturalem agnoſcat cauſam, nihilque contra, vel ſupra naturam accedat. *A parentibus naturalibus*, patet hinc nobis ſermonem non eſſe, de morbis contagioſis, in venaculo pariter **erbliche Kranckheiten** dicti, ſed qui proprio ſenſu hereditarii ſunt, & à parentibus adhærent, e quorum claſſe excluduntur omnes, qui ex quocunque alio quam phyſico reſpectu parentes audiunt, adoptivi, ſpirituales &c. hic enim requiritur concurſus phyſicus ad generationem, & ſeminis maſculini, vel fœminini tributum. Id vero quæritur an præciſe requiratur parens primi gradus, an vero ab Avo nepos hære-

hæreditarium malum accipere poſſit, patre intermedio ſano. Ubi cum grano ſalis affirmativam defendere audemus. Nimirum ita, ut quidem intermedius pater quoque participet de infectione avita, eamque filio communicet, cum v. hæc labes in filio commodius hoſpitium ad ſui incrementum, ac in patre reperiat, hic demum in actum prorumpit in patre plane non, quod tamen rariſſimum erit, vel non ita manifeſte graſſans. Conf. *HORSTIUS* Inſt. Medic: Diſp. VI. Coron. 2. Q. I. n. 3. *Tali, l. ſimili malo afflictis.* Ita enim eſt, triſtis hæc morborum hæreditas non tantum in iisdem ſpecie morbis viſitur, ſed & in congeneribus aliis obſervatur. Quare uti multis aliis in caſibus, ita & hic probe attendendum eſt ad Morborum Symbolismum, & quam habeant inter ſe mutuam dependentiam, de qua cit. *STAHLIUS* in Diſſ. peculiari de Symbol. Morborum & Diſſertatione de Diſpoſit: hæreditaria. Ex quibus & deciſio illius Quæſtionis fluit: an pater morbum, quo poſt generationem ſobolis demum affectus fuit, illi communicare poſſit? nimirum reſpondemus affirmando, quamvis enim hoc præciſe non laboraverit morbo pater, forſan tamen jam in potentia proxima conſtitutus erat, aut alia ſymboliſantia mala patiebatur. *Qua illud huic l. illo morborum generi actu ſubjectum, aut ad id recipiendum pronum magis eſt, & aptum.* Duplex eſt triſtis hæc hæreditas, vel enim naſcuntur infelices ſoboles morbo parentali actu obſeſſæ, cujus rei in *Eph. N. C. An. I Obſ: 42.* de Embryone hydropico: & *Obſ. 33. Dec. II. An. 2.* de fœtu veſiculis aquoſis obſito. & alibi paſſim de infantibus Lue Venerea pollutis, hiſtoriæ extant: vel ad Lucem prodeunt ad ſenſum ſani & vividi, qui tamen occultum ſeminium in ſeſe abſcondunt, ſuo tempore cum cauſa προηγουμένη, per cauſam προκαταρκτικὴν excitata fuerit, manifeſtaturi, quid monſtri huc uſque aluerint.

Sic expoſita paucis definitione ante, quam ad alteram inſcrip-

inſcriptionis partem pergamus, inquiſituri an talis, qualem uſque huc delineavimus Hæreditatem Morborum, in humano corpore detur, verbo B. L. illius Horatii admonemus: „ Fortes „ creantur fortibus & bonis: Eſt in juvencis, eſt in equis patrum „ virtus: nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Ita enim eſt, non ſpecie tantum ſimilem progenerant parentes ſobolem, ſed & individualiter talem, ita ut parentem vultu, & ſtatura, conformatione membrorum & habitu totius corporis, ut & temperamento, quod non raro animi mores ſequuntur, communiter referat filius. Quæ cum ita ſint de morborum ſimilitudine nunc etiam quæritur. Quam Quæſtionem multi forte, qui hanc morborum claſſem ubique recenſitam viderint, otioſam reputabunt. Sed tutos nos reddit, accuratiorum philoſophorum axioma, quo de omnibus, quæ rationi ſubjacent, dubitandum aſſerunt eo usque, dum libratis utrinque rationibus, quidem ſtatuendum ſit, quilibet ipſe videat. Hanc & nos aſſumemus philoſophandi methodum, & breviſſimis rationes dubitandi à priori, & à poſteriori adducemus. A priori impoſſibile videtur, ſecundum ſententiam vero perquam ſimilem plurimûm Recentiorum Phyſicorum non minus, ac Medicorum, quod ſemen maſculinum, à cujus cum ovulo conjunctione fœcundatio & conceptio principium ſuum nanciſcitur, quod nihil niſi ſpiritum, & principium activum largitur ovulo, omne jam materiale continenti, morbum, verbi gratia, Podagram implantare poſſit; Cum adeo minutum ſit ovulum, & ad viſum nil præter guttulam limpidi humoris contineat, in quo nec viſcera, nec artus continentur, ſed tantum minutiſſima quædam filamenta, horum prima ſtamina, eaque talia, quæ plane aliam, & toto genere diverſam conſiſtentiam habent ab illa, quam poſt Elaborationem ſuam oſtendunt. Equidem ſi quod Veteres minus ſolide perſuadebant, locum haberet, ſcil. quod ab omnibus partibus depromatur ſemen ſicque quaſi

homun-

homuncionem quendam repræſentaret, res explicatu facilis foret; Talis enim homunculus jam tum, ante quam naſceretur, fingeretur podagricus. Cum vero maneat hactenus ante citata Recentiorum opinio, certumque ſit, ſeminis materiam in ſanguine latentem per arterias ſpermaticas advectam in Teſtibus, ac ulterius in Epididymidibus, ſeparari, atque elaborari, ideoque ſemen non magis repræſentare hominem, quam bilis in hepate ſegregata, manet etiam difficultas hæc *à priori*, quomodo morbi hæreditarii poſſint propagari? Agnoſcunt hanc difficultatem nobiſcum illi inprimis, qui exinde *ſententiam illam* invertere conabantur, qua ſtamina & ovula organica primæva ſtatuuntur, quibus tamen recte cum *STURMIO* reſpondetur: facilius eſſe formatum quacunque vi & injuria deformare, quam inorganicum quid organizare. Ceterum ad hoc dubium non aliud forſan magis congruum quam hoc reſponderi poteſt: Spiritum illum ſeminis Virilis, qui eſt ejus pars principalis, & κατ' ἐξοχὴν ſeminalis, fœcundans, continere miaſma quoddam, quamvis minutiſſimum, podagricum, quod ſtaminibus illis implantetur, cum iisque creſcat & augeatur, ſuo tempore proditurum; Vel, quod magis placet: Spiritum, non analogice, ſed vere ſic dictum, Vitalem, qui animat ſemen, & à parentis ſpiritu modo inconceptibili procreatus eſt, ideam Motuum Spaſtico-Podagricorum in ſe habere, quæ tanquam innata non deletur, ſed firmiter ipſi inhæret, quo fit, ut poſt plures à Nativitate annos, ſi quæ occaſio ſeſe offerat, homo podagricus evadat. *vid. STAHL. in Pathol: Cap. de Podagra. A poſteriori* eſſent forte, qui morbos hæreditarios negando, à Medicis cauſæ non Cauſæ fallaciam committi prætenderent, & quæ nos Diſpoſitioni naturæ tribuimus, illi Regioni, Vitæ generi, Victus rationi, ceteriſque circa res Non Naturales commiſſis erroribus adſcriberent, & exempla eorum, qui ſani à morbidis generantur, morboſis à morboſis opponerent. Certe argumentum

demon-

demonſtrativum, quo quis evincat, dari morbos hæreditarios, nullum novi: Interim ſuſpicionem probabiliſſimam, *à frequentia* morbi in hac, vel illa familia, ab ejus *pertinaci indole*, imo & *præmatura invaſione*, aliisque variis circumſtantiis, hauriri poſſe, & a prudenti Medico actu hauriri, perſuaſus ſum. vid. *LYONET* de Morbis Hæredit. C. 1. & *Excell. Dn. Dr. ZELLER: Patronus ac Præceptor noſter omni obſequii genere pie devenerandus in Diſſert. de Affect. p. n. Hæreditar. Theor.* 1. *in Not.* & ab eo citat. auct: Quibus addatur, qui de hac materia ex profeſſo, quod dicunt, ſcripſerunt *Dermut. de Meara in Pathologia Hæredit: General.* & *Ludovic. MERCATI Tract. de Morb: hæredit:* Sed hæc exempli gratia ſufficiunt, quæ reſtant Dubia Dominis Oppoſituris proponenda relinquimus, pro cathedra reſponſuri.

Cap. II.

Quomodo propagentur Morbi, & Quales?

QUomodo ad liberos parentum morbi tranſeant, ſi quæſtio ſit, maxima ſeſe offert difficultas, eaque vix ſatis extricanda: Varii vario modo rem explicant, cum hi magis ad *corporeum quid*, alii potius ad *Spirituoſa* attendant, hi in *ſolidis*, illi in *fluidis* cauſam quærant. De quibus pauca quædam hoc loco diſſeremus, noſtramque de quæſtione tam ardua ſententiam modeſte & cum venia L. B. proponemus. Qui itaque *in ſolidis corporis partibus* cauſam morbi collocant, & his partibus labem hæreditariam inhærere autumant; ita ſibi rem concipiunt: Prima ſtamina, quæ in ovulo præexiſtunt, & primordia partium ſolidarum ſunt, ſiquidem morbus ſit maternus, concipiuntur à violentia morbi parentalis præter naturaliter affici, & intemperiem atque deformitatem, quas morbus propagandus præſupponit, recipere: ſin vero malum ſit à patre propagatum, ſemen morboſi talis genitoris vi illius quo laborat morbi alte-

ratum

ratum, eundem caracterem ſtaminibus ovuli, quæ hactenus ſana, ſane perficere debebat, inprimit, per dies vitæ non plane eradicandum. Ex. gr. Nephriticus ſi generet nephriticum id ita procedit: Parens qui ob hunc morbum renibus vitioſis laborat, quorum & ſtructura & temperamentum ſtatum præter naturalem induit, eandem intemperiem & malam conformationem ſtaminibus ovuli renalibus implantat, ita, ut renes naturale ſuum robur & legitimum temperamentum non accipiant; inde talis ſoboles á nativitate ad hunc morbum renalem proniſſima eſt, & tanquam *in potentia proxima* conſtituta cauſis occaſionalibus leviſſimis concurrentibus nephritica evadit, quas alias legitima renum conſtitutione & temperatura nata facillime eluſerit. Hic ergo eſt *primus modus*, quando nimirum partibus ſolidis diſpoſitio morboſa adhæret. *Secundus procedit per fluidas humoroſas ſ. contentas partes, ſecundum diviſionem Hippocraticam*, & *duplex* eſt, vel enim creditur macula talis ingenita hærere in ipſa maſſa ſanguinea, & cum illa in corpore circulari, quæ macula temperiem ſanguinis naturalem immutet, non tamen ita plene & prædominanter, ut morbus ſtatim ſequatur, ſed occulte adhuc & ſubjugate. (Morbos connatos excipimus, quando ſc: infans morboſus naſcitur, e. g. Venerea lue infectus) Exemplum dabit ſcorbutus, qui in intemperie ſalina plus minus volatili & ſulphurea radicatur, & per ſimilem intemperiem ſanguini infantili communicatam facilime propagatur. Cum verò ſanguis in perpetuo circulo ſit, & quotidie aliquid ſui deperdat, quod jugi nutritione & chyli affuſione reſarcitur, adeoque qui me nunc vegetat, atque nutrit ſanguis diverſus ſit numero ab eo, quem in infantia alebam, difficile videtur conceptu, quomodo caracter ille in ſanguine permanere poſſit, tantum temporis ſpatium, cum in ætate virili, l. m. ſenectute demum ſæpius mala hæreditaria moleſta fiant. Alii miaſma morbidum *in nido convenienti* ex. gr. podagricum in pede collocant,

ibique quieſcere ſibi perſuadent, donec ſuo tempore excitatum & irritatum ſanguini aut reliquæ humorum maſſæ immiſceatur, immixtum eam fermenti inſtar in ſui Motus leges cogat ſicque morbum producat. Exemplo ſint *Variolæ*, vel *Morbilli* qui morbi cum hæreditarii ſint, & cauſam ſatis venenoſam habeant, & quæ fortiſſime & celerrime agat, probabile eſt, virus illud ante non latuiſſe l. commixtum fuiſſe ſanguini actu, sed in alia parte delituiſſe & nunc demum occaſione data ſanguinem intraſſe. Reſtat, ut ante quam abhinc ſecedamus adhuc allegemus paucis, qua via hæc intemperies infantulo nondum nato ingeneretur, id facile eſt explicare, ſi a matre morbum traxerit, nam cum ab & ex ſanguine materno nutriatur, ſanguis maternus corruptus, corruptelam ſuam ſanguini fœtus communicabit. An pater ſuo ſemine ſpirituoſo, cujus craſſamentum ad ovulum non penetrat, intemperiem ſanguini fœtus poſſit afferre, magis dubitandum foret. Poſſet tamen etiam fieri ut ſpiritus ille maſculus vegetans ovulum, qui in liquore natat, aliqua miaſmata morbida ſimul advehat, quæ cum omnibus reliquis partibus ſenſim accreſcant atque augeantur, & vel cum ſanguine commixta maneant, vel in aliquam partem deponantur. Tertio non deerunt, qui in Spiritibus ſeminium malorum ponant. Quæ ſententia iterum *in tres diſtinctas* dividi poſſet: Alii enim intelligent *Spiritus corporeos* aereos, vel ſulphureos, alias *animales & vitales* dictos, & in his aliquid heterogenei reſidere dicent, ſuo tempore mœſtos producturum fructus. Quam intemperiem ſpiritibus animalibus & vitalibus fœtus affricabit *Spiritus genitalis* Parentum qui ex his fontibus fluit. Exempli loco inſerviat Melancholia innata, quæ a Temperie ſanguinis terreſtri & ſicca, atque ſpiritibus fixioribus & umbroſis non vane deducetur. Alii hoc nomine indigitabunt *tertium quoddam ens*, quod inter corpus & Spiritus mediat, & tertiam homnis partem eſſentialem format; Idque

ut

ut reliquorum, ita & hæreditariorum morborum ex connato quodam errore, architectum conſtituent. Ordinis cauſa allegabimus hic ſpeciminis loco *Epilepſiam*, ut quæ in motu depravato aucto cum privatione ſenſuum conſiſtit, & optime huic mottuum vitalium & animalium moderatori tanquam principali cauſæ adſcribitur. Tandem illi qui non niſi unicum in corpore humano habitantem ſpiritum agnoſcunt, *animam noſtram immortalem & cogitantem*, id quod priores intermediæ atribunt parti officium, in hanc transferunt, & ita docent: Anima prolis, quæ progenies eſt animæ parentum, tanquam, artificioſus auctor & rector ſui corporis perverſam ideam à parentali ſpiritu communicatam habet, & ex præſcriptione talis modi erronei conceptus corpus ſuum male informat, motusque perverſos & œconomiæ animali diſconvenientes inſtituit, unde magna copia variæ paſſiones & morbi promanant. vid. *STAHL. Diſſert. cit.* §. *58.* Exemplum præbet famoſa *Podagra*, quæ originem ſumit à motibus Excretoriis & ventilatoriis erroneis & irritis, vid. cit: *STAHL. Pathol. p. 798. de Podagra.* Ita conſideratis huc usque ſpeciatim omnibus, quotquot nobis hac de re cogitantibus ſuccurrebant, modis quomodo mala hæreditaria communicentur, cum annexis partibus, in quo radicati eſſe poſſent, pergendo nunc clarius mentem noſtram explicamus, & ſtatuimus: *Probabile eſſe omnes hos modos ſuo modo & loco admitti poſſe, eosque ſibi invicem non contrariari, ſed ſæpiſſime nunc plures, nunc pauciores conjungi in productione triſtiſſimi effectus.* Id dico generica morborum diverſitas, differentiam in modo propagandi genericam infert, & qui morbi ſunt compoſiti, illi etiam ſimul pluribus una ratione transeunt. *conf. Joh. Maur HOFFMANNI Diſquiſit: Corp. Hum: Pathol. Specim. X.* §. *2. 3. 4. ſqq.* Qui hanc ſententiam cum ſelectis exemplis in compendio recenſet. *Quidam* magis apti ſunt ad communicationem per corpus, *quidam* per ideas trans plantantur. *Morbi* qui inſignem maſſæ Sanguineæ alterationem

onem pro fundamento habent, per *miaſmata corporea* ſemini admixta tranſeunt in hæredes, vel cum nutrimento materno ex vaſis matricis hauſto implantantur fœtui. His, me judice aptior ſedes in corpore & anima, quam humoroſæ partes non aſſignabitur. *Aliter* traducuntur qui ſecundum genus conſtituunt *Læſæ Conformationis* morbi. Hi enim *primis partium ſtaminibus*, quæ in ovulo ſunt, imprimuntur, unde varii defectus & læſiones in magnitudine figura, numero, &c. partibus ſolidis adhærent. *Modo ſpirituali* ſive per ſpiritum relinquuntur liberis parentum morbi illi, qui fundamentum ſuum primarium *ex Motu depravato deducunt*. Quia videlicet motus originarie dependet à rectore corporis, qui convenienter ideæ ſuæ præconceptæ, machinam movet; nunc *recte* quidem, *temperate & ſalutariter*, nunc vero *tota via* aberrat, alio tempore ad ſalutem quidem finaliter, ſed *intemperanter*; Quorſum ſpectant *morbi ſalutares*, non illi qui à natura victi cedunt, & ut ſanitas amiſſa ſic recuperetur; ſed illi, qui à natura cum intentione quadam & directione inſtituuntur, ut major calamitas depellatur, cum tamen nec ipſi ſine periculo, incommodo, & dolore tranſeant, ut ſunt varii generis hæmorrhagiæ, narium, pectoris, ſtomachi, ani &c: Hactenus de modo quomodo parentum morbi liberis obveniant, ſed cum ſint quidam, qui morbos à nativitate quidem contingere concedant, non tamen à parentibus derivandos, ſed ex Aſtrorum inprimis planetarum concurſu emergi contendant, pauciſſimis de harum ſententia, quid nobis videatur exponemus. Nimirum *arcana illa vis & efficacia* Aſtrorum, quæ tanta animi contentione ab his aſſeritur, quam ab illis negatur, nobis *admodum dubia* videtur, & ſi quid agunt & concurrunt ad morbos & diſpoſitiones hæreditarias, id illis, quæ tempore & momento conceptionis ſceptra gerunt, & quæ per tempus formationis terræ noſtræ præſunt potius, quam quæ in nativitate dominium gerunt, attribuendum erit. Ceterum

tales

tales morbi non niſi latiori & minus adæquato ſenſu *hæreditarij* vocentur, potius *Ingeniti* nominandi. *vid. Robert. LYONNET de morbis hæred: C. 1.* ubi hanc ſententiam de Aſtrorum concurſu rejicit.

Pergimus ad alterum punctum, *qui ſint habiles morbi, qui ita propagentur?* Hi peculiare genus, à reliquis diſtinctum non conſtituunt, ſed ſunt illi ipſi morbi, qui toto die in Medicorum ſcholis docentur & in praxi accuſantur, qui communiter ex erroribus diæteticis originem ſuam habent, interdum vero ex ingenita, & à parentibus implantata labe enaſcuntur, & tunc hoc *hæreditarii morbi* Epitheton aſſumunt. Eſt autem illorum numerus tantus, ut qui illum inire vellet, catalogum morborum deſcribere neceſſum haberet, adeo ut audeamus dicere vix eſſe morbum, qui non tincturam aliquam hæreditariam admittat. Quare pronunciamus: *Omnes Morbi Intemperiei & Læſæ Conformationis ſunt apti ad propagationem per ſemen.* Sub hæc duo ſumma genera, & quod tertium ex his compoſitum conſtitui poſſet genus, non inconcinne omnes revocabimus morbos, de quibus inſigniores, vel ſaltim remiſſive allegabimus, ne terminos præfixos ſine neceſſitate excedamus. Sic propagari ſolent *Morbi Venerei*, & magno numero *Scorbutici*, qui tam late patent, & diverſa perſonati larva ludunt, protheiformes affectus: ut & varii generis febres. Conf. *HORSTIUS Diſſt. 1. De Anatom. vitali & mortua. T. 1. operum p. 423.* ubi ita: Hinc patet quinam „ morbi maxime ſint hereditarii, nimirum *Tartarei*, qui fixas „ habent radices, ac difficulter funditus eradicantur, ut ſunt *cal*- „ *culus, arthritis, lepra &c*: cum contra reliqui quos *ſulphureos*, „ *& mercuriales* vocant, non facile propagentur in filios, *febres*; „ *ſcl. inflammationes catarrhi & ſimiles*, propterea quod mobi- „ les radices obtineant, & citius ad reſolutionem tendant. *Ad*- „ *datur Robert. LYONET. L. C.* qui nobis *p. 7.* contradicit his ver- „ bis: „Nec omnes parentum morbos in poſteros tranſire cre- „

dide-

dideris. Qui enim à fluitantium humorum prava qualitate„ proveniunt, cum nativam *ſolidarum partium temperiem, à qua*„ *ſeminalis vis procedit*, nondum mutarint nec ſemini admiſce-„ antur, ſuas proli vires non conferunt, ideoque nec febres pu-„ tridæ &c. in poſteros derivantur. „ Cui cum & experientia optima quid fieri poſſit Magiſtra contrarietur, & falſa nitatur hypotheſi, quaſi *vis ſeminalis à partibus ſolidis* dependeat, & ipſe *C. ult. p. 82.* concedat propenſiones ad talis modi morbos per traducem propagari, illum diutius non morabimur. *Læſæ conformationis* morbi ſine dubio propagantur, Gibboſus gibboſum, macrocephalus macrocephalum, vari & valgi ſui ſimiles procreant. Sedigitorum, & qui manum in chelam cancrinam efformatam habebant, item eorum qui imperforato pene naſcebantur, integras familias obſervavit *citatus LYONET.* Addatur *Excell. ZWINGERUS in Theatr: Prax.* ubi à matre clauda tres filios luxatione femoris laborantes natos, totidemque filias ſanas refert. Conf. *KUPFERSCHMID. in Diſſert. de Morbis præliantium. Part. 1. §. XLVI. p. 73.* Proximi his accedunt Nævi materni, qui ex imaginatione materna, ab immoderato & non expleto deſiderio, vel objectione rei alicujus inſolitæ oriunda, produci creduntur, quod ampliſſimum thema a nobis hac vice tranſmittitur. Tandem huc ſpectant morbi *medii generis* qui de utroque genere participant, in quorum productione læſa conformatio & Intemperies concurrunt, Inter quos Phthiſis eminet, ſiquidem hic morbus obſervante *Mortono de Phthiſi L. 2. C. 2.* præ ceteris omnibus dicitur hæreditarius. Quorſum lectorem remittimus, addatur Excell. *Dn. D. ZELLER. Diſp. de Phthiſi. C. 2. §. 8. Alias & cephalalgia, Epilepſia, Apoplexia, aſthma, malum hypochondriacum, nephritis, podagra, arthritis* multique alii huc referuntur, de quibus modo citatus *Excell. Dn. D. ZELLERUS in Diſſert. Inaugurali, cui Tit. Triſtis Conſanguinitas, &c. Theoremat. II. & VIII.* Ubi maximo labore potiores per Ventres & artus morbos per-

cur-

currendo, ipſorum indolem hæreditariam ex probatorum auctorum obſervationibus docuit. addatur *STAHLIUS Diſſ. de Diſpoſit: Hæredit: paſſim impr. §. 38. ubi morbos mulieribus proprios recenſet.* Subſiſtimus ergo in generali illa aſſertione: omnes morbos aptos eſſe, ut caracterem hæreditarium aſſumant, addita limitatione *ſuo modo & cæteris paribus.*

Cap. III.

Quæ ſint Morborum hæreditariorum Signa, Eventus & Cura?

S*Igna* morborum hæreditariorum admodum *multa ſunt*, & fere infinita, cum enim ex ſupra allegatis conſtet diffuſiſſimam eſſe horum morborum familiam, & vix eſſe unum ex omnibus morbis, qui non recipiat aliquo modo indolem hæreditariam, nobis omnia omnium morborum ſigna huc referenda eſſent, ſi ſigna morborum hæreditariorum enumerare animus eſſet. Quare miſſis, quæ communia habent cum adſcititiis morbis, ſignis, ea tantum tangemus quæ propria ipſis ſunt, & ſingularia. *Primum ſignum* deſumimus ex *victus ratione & diæta prægreſſa* quæ ſi moderata ſit & talis, quæ alias ejusmodi morbos inferre non ſoleat, adeoque manifeſtæ cauſſæ ſufficientes non adſint, ſuſpicio de malo hæreditario fundatur: Idem accidit *ex temporis circumſtantiis*, ſi morbus *citius* quam par erat, affligat, *ſæpiusque* recurrat, *nullamque perennem admittat medelam* nec eradicari poſſit. Optimum vero *ſignum* præbere poſſunt *æger ipſe*, vel *adſtantes*, vel Medico ante acquiſita *notitia familiæ*, an in illa tale quid familiare & conſuetum ſit? ubi genus fœmininum etiam non negligendum eſt. Præcipue de Linea Aſcendente inquiret medicus, nam Collaterales, qua tales hic nihil vel concurrunt, vel indicant. Morbi conformationis læſæ externi, an hæreditarii ſint vel ipſe aſpectus, vel relatio ægri docebit.

Tandem quæ ſuperſunt Tractationis partes *Prognoſis & Therapia,*

rapia, in quibus alias ſpem & ſolatium contra triſtes ſuos & pungentes dolores atque paſſiones, unice ponit æger, nil niſi triſtia atque funeſta præſagiunt. Nam τὸ *hæreditarium* omnia aggravat & ſpem quam forte morbi natura & indoles admitteret, felicis, citæ, atque perfectæ curationis, deponere jubet. Ut in *prognoſi hæreditarium* eſſe idem ſit, ac *longum*, *tædioſum*, *refractarium*, & ſæpiſſime, ſi non ubique *incurabile*. Jam patet de *CURA* quid dicemus, & quantum inde ſpei ſuperſit, parum ſcilicet. Sed iterum hic vel admodum multa, vel perpauca dicenda erunt. Aut enim *Cura* morborum hæreditariorum conſideratur *quatenus ſunt morbi* abſtrahendo à caractere hæreditario, & ſic fere univerſa Medicina practica hic repetenda foret; aut conſideratur ipſorum cura *ſub hac formalitate quatenus ſunt hæreditarii*, & ita cura in actu ſignato pauciſſimis expeditur, quæ in actu exercito nunquam finitur. Cura, ut notum eſt, duplex eſt, vel reſpicit morbum futurum, & præſervatio audit, vel præſentem, & curativa ſ. cura in ſpecie nominatur. Illius in præſentiarum maxima eſt & Neceſſitas & Utilitas, & multo felicior miles erit, qui adhuc naturæ viribus ligatum, præſervatione adgrediatur hoſtem medicus, quam qui poſtea, cum jam naturam prævaluerit accedit. Monendi ergo ſunt ejusmodi hæredes, ut cautiſſime vivant, & diætam atque vitæ genus, intemperiei ſuæ atque nativis ſuis inclinationibus morbidis contrarium eligant: Omnesque exceſſus etiam tales, quos bene conſtituti & firmo atque valido habitu corporis præditi facile ſuperarent, curioſiſſime evitent, rati, id quod aliis naturale eſt & ordinatum, ipſis jam in exceſſum vergere. His utiliter & opportune ex *Triga fontium ſalutarium* adduntur remedia congruentia, quæ naturæ ſemper in oppugnando congenito hoſte occupatiſſimæ, ſuppetias ferant exoptatas. Si vero opportunum hoc tempus, uti ſæpius fieri amat, neglectum fuerit, & cauſæ externæ, quas abuſus Rerum non naturalium affert, internas adjuverint, ut morbus jamjam graſſetur, ad curam etiam

Medicus

Medicus ſeſe accingat, non obſtante quod præmiſimus prognoſtico, æquum enim eſt, ut & ipſe, & patiens contentus ſit, quod humanum conſilium atque auxilium tollere non valet malum, ſi allevet. Ceterum cum hæc mala longa ſint, atque tædioſa, medicus ſufficientem occaſionem nanciſcetur omne ſtudium, vires, atque diligentiam in conquirendis atque inveniendis remediis adhibendi, quod, cui Dei Gloria, proximi & ſua ipſius Salus cordi eſt, nunquam negliget.

TANTUM.

QUas Tibi Divinas, Vir Docte, faventior aura
 Contulit ingenii Splendidioris opes:
Has Deus eximiis porro ſucceſſibus ornet,
 Teque exoptata proſperitate beet.

Hiſce Doctiſſimo Dno. Bülffingero de ſtudiis præclariſſimis ex animo gratulatur, ejusque meritis condigna præmia exoptat

D. Joh. Wolffg. Jæger, Cancell. & Præpoſ. Tubing.

HÆredes morbi, Medica quos tradis in arte,
 Sint tibi fortunæ, ſint tibi divitiis!

Doctiſſimo Dn: Candidato Collegii Martiniani hactenus Oeconomo dexterrimo hæc pauca in ſignum amoris apponere voluit

Michael Graſs, D. P. P.

— vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille,
Qui minimis urgetur.

VEra quidem nobis narras, ſed triſtia: quis non
 Antiquam labem ſenſit & ingemuit.

Hæredi Virtutis Paternæ Felici gratulatur

Præſes.

Gaudeat

GAudeat Arte Tua languens, morbique Paterni
Hæres, & promtam ſentiat Æger opem!

Nobiliſſimo Domino Candidato fauſtæ praxeos initia gratul.

Elias Camerarius, D. Prof. Arch. Wirt.

INfelix, hæres vitii morbique paterni:
Tu Felix hæres nominis es patrii.

Nobiliſſimo Doctiſſimoque Dn. Resp. feliciſſimo avitarum paternarumque Virtutum æmulo, cum voto proſperitatis omnigenæ ſcripſit Nominis paterni cultor Sincerus.

Jo. Chriſtianus Neu, Hiſtor. Eloq. ac Poës. PP. Ord. ſui h. t. Decanus.

C' eſt Vous, (digne Heritier des Vertus Paternelles)
Qu' aujourd'huy notre Athene admire avec raiſon.
C' eſt Vous, qui par des preuves eclatantes & reëles,
Merites toute gloire, cueillis dans cette ſaiſon.
L' ardeur, avec la quelle vous fites vos Eſtudes,
Et l'applaudiſſement, que tous donnent à leurs fin;
N' eſt pris de tout le monde, que pour un ſeul prelude,
Des hauts dons, qui vous ſont livrés du ſage Deſtin.
Ces mots, qui ſont ſans fard, font voir ſuffiſamment,
Que la Gloire, & l' Honeur vous ſvivront de tous tems.

Céſt, come vous voyez, ſans une Veine Poëtique, que j'ai eu l' honeur de vous dreſſer, ces Vers: Mais que c' eſt la ſeule Amitié (que vous m' avez accordé, & dont la continuation me ſera des plus cheres) qui m'a engagé à vous temoigner avec combien d' affection je me nome Monſ. & tres cher ami.

Votre tres adonné

Gloxin, M. C. Oppon.